



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCXCII. Der Bischof Dietrich von Brandenburg entscheidet einige Streitigkeiten des Pfarrers zu Lubars mit seinem Eingepfarrten über den Gottesdienst in der Capelle zu Ostlubars, die Zehnthebung von ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

locare possitis ipsamque monstranciam cum hostia consecrata imposita, in processionibus inferius designatis, ob reverenciam preciosissimi sacramenti, videlicet corporis domini nostri Ihesu Christi, solempniter et devote valeatis portare et post processionem quamlibet in altari, in quo tunc summam missam contigit celebrare, collocare et statim, finita eadem missa, eandem hostiam de ipso cristallo excipere ac eam in loco, ubi alias corpus dominicum pro infirmis servari consuevit, absque predicta monstrancia cum magna veneratione reponendo, jure tamen parochiali vestro plebani predicti semper salvo. Dies hujusmodi processionum tales sunt: videlicet dominice resurrectionis, Pentecostes, nativitatis Christi, festivitatis omnium sanctorum, dedicationis ecclesie parochialis predictae, in processionibus in cimiterio fieri consuetis, nec non dies ejusdem sacri corporis in processione, que cum clero et populo in civitate solempniter fieri consuevit, ita tamen, ut Judei medio tempore in domibus suis sint reclusi et hostia domus ipsorum Judeorum clausa, ne in populo fideli scandalum aliquod ex illusione inimicorum domini nostri crucifixi generetur. Datum Brandenburg, anno domini millesimo CCC^o. septuagesimo secundo, feria secunda in pascha, nostro sub secreto, presentibus honorabilibus viris dominis Ottone, in Brandenburg, Apetzhone, in Berlin prepositis, Bertramo de Stegelitz, Hentzone de Gerystorp, canonicis nostre ecclesie Brandenburgensis.

Nach dem Original.

CCXCII. Der Bischof Dietrich von Brandenburg entscheidet einige Streitigkeiten des Pfarrers zu Lubas mit seinen Eingepfarrten über den Gottesdienst in der Capelle zu Ostlubas, die Zehnthebung von Schweinen und Bienen und dergleichen, am 11. Mai 1372.

Nos Thidericus, dei gratia episcopus Brandenburgensis, recognoscimus per hec scripta, quod inter discretum virum, dominum Hermannum, plebanum in Lubas, et suos parochianos super divinis celebrandis et ecclesiasticis sacramentis ministrandis in capella ville Ostlubas et super quibusdam decimis, videlicet carniū et apum, dandis seu solvendis, orta fuit quaestio, coram nobis tandem predictos tam dominum Hermannum quam suos parochianos super premissis concordavimus seu concordantes fecimus in nostri presentia constitutos, pronunciando ita, quod dictus dominus Hermannus seu qui pro tempore fuerit eorum plebanus, saltem in septimana quamlibet unam missam aut plures, si causa devotionis voluerit, in dicta capella ville Ostlubas celebrabit, sepulturas, quas gloriose ibidem fieri concessimus et concedimus, peragere, confessiones audire, in pascha eucharistiam seu corpus dominicum sanis ministrare, in extremis debiles viatico communicare, sacram unctionem quoque porrigere ipsis in eadem Ostlubas degentibus debet. Reliqua vero sacramenta plebano ibidem, qui pro tempore fuerit, villani seu parochiani in predicta Ostlubas sive multi sive pauci morantes, seu mansos seu agros ibidem colentes, alterum dimidium fertonem seu denarios in tantum valentes in festo nativitatis Christi et alterum dimidium fertonem aut in tantum in denariis in festo sancti Johanni baptiste sic, quod tres fertones in argento premissis terminis finaliter et congregatim solvant in effectum. Ceterum de porcis et apibus sicut de aliis animalibus decimam solvant parochiani suo plebano predicto. In quorum omnium testimonium etc. Actum et datum in castro Seyerler, anno domini M.CCC.LXXII. XI. die mensis Maji, presentibus discretis viris: domino Henzone de Geristorp, canonico nostre ecclesie Brandenburgensis, Thyderico de Geben nostro capellano

ac famosis viris Jordano de Nendorp, nostro avvocato, Johanne de Luckenberge et Henzone de Golzow aliisque pluribus fide dignis, ad premissa vocatis et rogatis.

Nach einem Copialbuche des Brandenburger Domcapitels.

CCXCIII. Markgraf Otto bestätigt einem Altar in der St. Katharinenkirche in der Neustadt Brandenburg einige Einkünfte, am 29. Oct. 1372.

Nos Otto, dei gratia Brandenburgensis marchio, universis et singulis, presentibus et futuris, ad perpetuam rei memoriam. Volumus esse notum, ordinationem, donationem et approbationem annuorum reddituum, videlicet septem talentorum et quatuordecim solidorum denariorum Brandenburg. ac tertii dimidii chori falsi, sitorum et singulis annis percipiendorum in theolonio nove civitatis Brandenburg ad altare, fundatum, locatum et sub honore beati Nicolai, episcopi et confessoris, in ecclesia parochiali sancte Katherine civitatis nostre predictae dedicatum et etiam ejusdem altaris juris presentandi translationem per magnificos principes predecessores nostros, maxime per illustrissimum dominum Ludovicum pie recordationis, fratrem nostrum carissimum, quondam marchionem Brandenburg. ob reverentiam omnipotentis dei, gloriose genitricis sue et omnium sanctorum, nec non ob jugem et perhenem suarum nostrarum etiam heredum ac successorum nostrarum animarum memoriam concessas et indultas, pro quibus quidem donatione et appropriatione plebanus ecclesie parochialis predictae dedit domino Ludovico fratri nostro prenarrato quadraginta talenta denariorum Brandenburgensium nec non autorizationem, confirmationem, incorporationem et unionem dicti altaris cum redditibus predictis per venerabiles in Christo patres et dominos Johannem et Thidericum episcopos Brandenburgenses factas ex nostra certa scientia approbavimus, laudavimus, confirmavimus et tenore presentium approbamus, laudamus et in nomine domini confirmamus ac gratas et ratas habemus per presentes. Ceterum ut venerabilis in Christo pater et dominus, dominus Thidericus, nunc episcopus ecclesie Brandenburgensis, sepedictum altare cum suis redditibus altaris predicti, quos dictus plebanus longevis temporibus sustulit et hactenus sublevavit, ipsi ecclesie predictae, cujus fructus et redditus ad sustentationem ejusdem plebani sunt exiles et modici, incorporare, conjungere et unire possit ita quod hujusmodi ecclesie et altaris amodo sit unus et idem plebanus et rector et quod plebanus ejusdem ecclesie, quicumque pro tempore est et erit, redditibus altaris predicti, quia ejusdem altaris est rector, debeat et possit gaudere, salvis divinis officii dicto altari annexis, per predictum plebanum vel ejus capellanum sine aliqua fraudatione et subtractione faciendis et agendis, nostrum liberum adhibuimus et presentibus adhibemus consensum, hoc etiam adjecto, quatenus dicti theloni thelonarius vel ejus vices gerens aut thelonium ibidem respiciens, presens vel futurus, dictos redditus, videlicet dimidietatem dictorum denariorum in die beati Martini et aliam dimidietatem in die purificationis beate Marie singulis annis ac suis temporibus, etiam decenter in parata pecunia sine aliqua rerum commutatione integraliter et complete, sal vero quolibet tempore, quo ipse plebanus eo indigerit eidem plebano finaliter persolvere debebit et parare omnia et singula premissa in suis clausulis et articulis perpetuis temporibus firma et rata valitura. In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus presentibus appendendum, presentibus reverendo in Christo patre ac domino, domino Thiderico episcopo Brandenburgensis ecclesie ac strenuis viris Johanne de Rochow, Johanne de Wolkow,